



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Parentem malè tractans, à filio vicissim malè tractatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

reas in ponte frequentes ducerent, & illas venerabile Christi Sacramentum deferretur, nullo in genua procumbente, pons decidit, & ducenti propè mortales perierunt. Nempe qui saltando peccarunt, iuerunt quoque de ponte salientes, vt quia filiam Herodidis in petulantia imitabantur, ei etiam in interitu assimilarentur.

Sanctus Paulus, quòd orationis initio Principem sacerdotum Ananiam nominatim non aliquo honoratiore titulo affectisset, vel tantam innocentiam professus esset, *Ananias praecepit* *stantibus sibi, percutere os eius, cui illico talionem vaticinans Paulus dixit: Percutiet te Deus, paries dealbate.* Hæc verba docet S. Augustinus *minus intelligentibus conuitium sonare, intelligentibus prophetiam esse.* Nam tunc Apostolus serio, atque Apostolica quadam auctoritate, percussione suæ authori interitum denuntiauit, tum vt eam absterret, tum ne videretur Tribuno, qui aderat, contemnendus, quem à flagris sibi infligendis prohibuerat. *Nonimus quidem,* ait S. Chrysostronus, *quòd de hoc loco aliqui satisfaciunt, loco prophetia velint esse, quod dictum est: nec culpo dicentis: uenim istud euenit, sicq; defunctus est.* Nam diuina inspiratione sciebat Paulus, quid Ananiæ euenturum esset, *nec decet cum Caiapha Paulum hac in re comparare, qui quod prophetabat, nesciebat,* ait Carthusianus. Vetat quidem Dominus, *ne quis malefacientibus male faciat, aut maledicat maledicentibus, vel imprecetur;* & ipse Paulus idem præcipit, & à se sic factum scribit; tamen quandoq; licet *utrumlibet zelo iustitia, & iudiciaria potestate, atq; sine vindicta liuore, sine odio.* vt D. Gregorius monet, & suppetunt in eodem Paulo alia exempla, vt in Petro, Elia, Ieremia; alijsque diuini honoris zelo inflammatis. Summus igitur sacerdos Ananias, *paries dealbatus; ita vt nomine forinsecus niteret,* ait S. Augustinus, *intrinsecus luteis concupiscentijs sorderet,* quia S. Paulum percussus iussit, vicissim percussus est, & quidem manu Dei, in quam incidere horrendum est. Manus enim omnipotentis omnipotens est.

Caueant igitur, quicumque alios seu lingua, seu manibus percutiunt; nihil erit apud diuinum tribunal impunitum; et si enim id illis nullus Paulus prædicat, prædicat tamen ratio, prædicat iustitiæ diuinæ æquitas, eos vicissim, nisi se ipsos iudicent, puniant.

VII.

A& 23. 2.  
S Augustin.  
1. de Serm. in monte, c. 19.

S Chrysostr.  
hom. 6. de laudib. S. Pauli.  
Ioan. 11. 51.  
Luc. 6. 28.  
Rom. 12. 14.  
1. Cor. 4. 12.  
S. Greg. 1. 4.  
Moral. cap. 6.  
2. Tim. 4. 14.  
Gal. 5. 12.  
A& 13. A& 8.  
4. Reg. 1.  
Ierem. 12.  
S. Augustin.  
de mendacis cap. 15.

VIII.

Mart. Delrio  
in Senecæ  
Agamemno-  
nem n. 901.  
Henric. in  
Dioptra. Io-  
seph. Balar-  
din. lib 3 c.  
47. Matth.  
Rader. in vi-  
tam S. Ephr.

niantque, vel in hac, vel in altera vita, reperiendos. Quem admodum non aliunde, quam à propria conscientia monitus fuit ille, de quo Martinus Delrio, alijque scripserunt; qui patri suo, in Frisia, sæpe iniurius adeò fuit, vt illum pugnis contunderet, & prostratum crinibus raptaret. Nam postea vicissim à filio suo pulsatus, atque eodem quoque modo per domum raptatus, cum ad limen domus peruentum foret; & nefandi istius filij rabies etiam vltiùs progressura videretur, miser parens intelligens, iusto se Dei iudicio illa pati, exclamauit: *Hactenus, fili, nec enim parentem meum, autum tuum, ultra domus limen crinibus traxi.* Nullo huic alio monitore opus fuit, quam conscientia, & ratione, quæ misero dicebat, filium à parente suo didicisse modum tractandi parentes; qui si inhumanus esset, magistro potiùs, quam discipulo tribuendus videretur. Nec enim, nisi iustissimè, Deum permittere, vt peccatum parentis, peccato filij plecteretur.

## IX.

M. Michael  
Iulius de lau-  
de ordinis  
Coniugalis  
cap. 5.

Hoc etiam pacto finit aliquando errare, in sententia ferenda, ipsum Magistratum Deus. Sæpe enim, qui in vno crimine innocens plectitur, est in alio nocens. Et Senatus quidem iudicium præcipitat, est tamen aliud peccatum, quod Deus per senatum castigat. Referam melioribus verbis, quod M. Michaël Iulius rudi Minerva dedit memorijs posterorum. Basileæ Paterfamilias fuit, crudis homo moribus, & mentis indomitæ: qui si tangeretur, echino fuit asperior; Adria iracundior, si læderetur. Is coniugem habuit vtiq; meliorem marito dignam. Nam etsi honesta esset ac pudica, quotidianas tamen rixas, & velut perpetuam simultatem pati cogebatur. De quauis re, etiam de lana caprina, illi Orbilius ille litem mouebat. Nec manebat res intra verba, & probra; à contumelijs & maledictis plerumque ad verbera, & liuorem vultus veniebat, vt è vestigijs constaret de præterita tempestate. Diu tolerauit mulier huiuscemodi importunitates, sed tandem vt ictibus satiata, ac pertæsa iniuriarum, domo profugit ad parentes cognatosque suos, de intolerabili sæuitia ac tyrannide mariti querelam depositura, & quaesitura medicinam. Ibi professa, se frugi honestæque matrisfamilias officium sedulò suaque sponte facere; maritum autem ganeonem, omnis mansuetudinis oblitum in belluam degenerasse, neq; blanditijs,